





83  
10. C.

RECTOR  
ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS  
ANDREAS  
SENNERTUS,  
LINGVARUM ORIENTALIUM  
PROF. PUBL. ACADEMIÆ  
SENIOR, &c.

*Universos ac singulos*

Academiæ Cives, omnesque Lecturos,

Publicò hoc Programmate,

Ut sacrum Pentecostes Festum


sanctè pieq; celebrent,  
adhortatur.

93.

10

H A D O N O R Y  
ACADEMIE WITTENBERGENSIS  
S A C R E M A T I  
S E M I N I E R U S  
L I C O A R U M Q U A D R U P L E  
G R A D U A T I O N E R  
S E M I N I E R U S

Academie Wittenbergensis  
Seminarium quadruplicatum  
Graduatione  
Academie Wittenbergensis  
Seminarium quadruplicatum  
Graduatione



**H**ieronymus, magnus Ecclesiæ Pater, Sanctusq; animarum Doctor, qvando ab Eustochio, nobili juxtā atq; pia Virgine, Festō qvōdam die, post alia dona etiam Columbas accipiebat, gratō eas animō interpretabatur, svavissimam Ipsi per Epistolam ( qvæ T. I. Opp, f. 85. habetur ) respondebat, & gratiarum actionis locō piâ & sanctâ informatione eandem erigebat: *Parva specie, ajebat, sed caritate sunt magna, munera accepisse à Virgine, armillas, epistolam, & COLUMBAS.* Singula hæc dona ad instructionem in pietate acutè applicabat, & tandem etiam de *Columbis* scribebat: *In Columbae specie Spiritus S. allabitur. Math. III, 16. Luc. III 22. Joh. I. 32.* Et paulò post: *Cave, ne ad similitudinem Ephraim per Oseam audias: facta es insipiens, ut COLUMBA, Hos. VII, 11.* Duo sunt, ad qvæ in svavissima hac informatione Hieronymus respicit, Primum *fides* est, alterum *vita*. Ad *Fidem* pertinet, doctrina de Spiritu Sancto salvifica; ad *Vitam* verò, ne insipiens qvis & impius, seu à verâ pietatis viâ devius reperiatur. Utrumq; inculcavit Hieronymus. Prius Eustochio commendavit; ab altero eandem piè dehortatus est. Primum si rectè didicit, tenuitq; Eustochium, secura de fidei sinceritate esse potuit. Qui enim verè & Spiritum S. & ejusdem sanctissimam inhabitacionem operationemq; credit, is ab eodem *Spiritu in omnem ducetur veritatem* Joh. XVI, 13. Hic enim is *Advocatus* est, qui, afferente Christo, *omnia Apostolos docet, omniaq; iis suggerit, quæ dixit ipsis*, c. XIV. 26. *Ab Hoc Spiritu non solum acti Prophetæ locuti sunt, ceu sancti Dei homines*, 2. Pet. I, 19. ut manifestarent nobis fidei mysteria, qvæ à temporibus secularibus erant mundo abscondita Rom. XVI, 26. sed & si hodieq; nos iis, qvæ dicta sunt & scripta ab iisdem Prophetis & Apostolis, cum fructu salutari attendere velimus, necesse est, ut

Idem

Idem Dominus adaperiat corda nostra. Act. XVI, 14. Qvod si nou  
facit, accidit nobis, qvod Discipulis Christi, dictis Magistri malè  
attendentibus, accidebat. *Ipsi enim nihil eorum intellexerunt: erantq;  
ista verba ipsis occulta, nec cognoverunt, quæ dicebantur.* Luc.  
XVIII, 34. Deinde si hunc ipsum Ductorem in vitâ seqvitur Sponsa  
Iesu Christi, non erit COLUMBA insipiens, aut à verâ pietatis semita  
aberrans. Tantum enim abest, ut Sanctissimus hic Hodegus vi-  
arum vitæq; errores patiatur, ut potius omni nisu mundum de pec-  
cato & de justitia & de judicio arguat. De peccatô quidem, eò qvod  
non credunt in Christum: de justitia vero, eo qvod ad Patrem abi-  
erit & non amplius conspiciatur à mundo: de judicio autem, eò  
qvod Princeps hujus mundi condemnatus sit. Joh. XVI, 8. II. In maliti-  
osam enim animam non ingreditur hac SAPIENTIA, neq; habitat in  
corpore, qvod subjectum est peccato. Sanctus namq; Spiritus disciplinae  
fugit dolum, & absitit à ratiocinationibus hominum vacuorum intelli-  
gentia, & indicatur, cum advenit iniqitas. Sap. I, 4. 5. Quotquot  
è contrariò Spiritu DEi aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim acce-  
perunt Spiritum servitutis rursum ad metum, sed acceperunt Spiritu-  
m adoptionis, per quem clamant, Abba, id est, Pater. Et ipse  
Spiritus testatur, una cum eorum Spiritu, eos esse filios Dei, Rom.  
VIII, 14. 15. 16. Is enim est Ductor hic Integerimus, qui deducit  
nos per terram planam. Psalm. CXLIII, 10. Qui animas nostras qui-  
etas efficit, ducitq; nos per orbitas Justitiae. Psalm. XXIII, 3. Ea vero  
sunt, quæ Hieronymus Eustochio suæ die festo columbarum be-  
neficiorum in memoriam revocare voluit. Hæc si tenuit piè, probèque  
observavit Virgo pia & sancta, uti credere fas est, facta & ipsa fu-  
it Columba, sponsaq; Jesu Christi pulcherrima & charissima.  
Quæ si & festo hoc sanctoq; tempore Nos ipsi fecerimus, dubium  
est nullum, qvin Deo id puchrè acceptum sit futurum. Quare, ô  
boni, ô Nostri, agite nunc id, qvod Hieronymus svasit Eustochio.  
Cernite donum. Donatur Spiritus Sanctus Apostolis, Act. II, 3. 4.  
Donatur is, qui in Columbae figurâ olim apparuit. Donatur & no-  
bis: donabitur & vobis, ni malitiosè illi obicem posueritis. Ve-  
râ fuerit Columba, in quâ Spiritus Sanctus super Christum de-  
scenderit, an ejus tantum figura quædam, verè tamen corporea, li-  
tigant

tigant inter se se erudit. Qui priori assentiantur sententiæ, "auto-  
ritate abutuntur Tertulliani & Augustini. Ejus in libro *de carne  
Christi* cap. III. Hujus autem in Scripto de Christiano Agone Cap.  
XXII. Abutuntur inquam. Qvanquam enim Duumviri hi τὴν Ἰησοῦν  
θολκῆς αὐτοῖς abrepti contra Adversarios, veram Christi carnem  
negantes, statuere id visi fuerint: correxerunt tamen sententiam ali-  
bi. Is in librō de Baptismō cap. VIII. ubi afferit, Spiritum Sanctum  
NB. *Columba figurā delapsū esse in Dominum:* Hic autem non uno  
in locō. In Epistolā enim C. I. ad Evodium scribit: *hæc columba so-*  
*la specie corporali oculis reddita, non natura viventis animalis expressa.*  
Et lib. II. de Trinitate cap. V. ait: *In ipsum Dominum (Spiritus Sanctus)*  
*corporali specie NB. velut columba, descendit.* Et illud quidem rectissi-  
mè ita fecerunt. Ipse enim Spiritus Sanctus, omnium optimè sci-  
ens, qvā ratione apparuerit, id per Evangelistas satis perspicue nos  
docuit. Consonant autem hac in re omnes, perfectōq; concentu, &  
harmonia nullatenus dissonante fatentur non *Columbam* sed *Spiri-*  
*tum Sanctum descendisse in Christum ὡσεὶ περισπαν τanquam co-*  
*lumbam* Matth. III. 16. Marc. I. 10. Luc. III. 22. Joh. I. 32. Et ut omnis,  
elabendi rima præcluderetur, Lucas per duarum vocularum additio-  
nem rem multò clariorem reddidit, dum scripsit, descendisse Spiriti-  
tum Sanctum σωματικῶς εἴδη ὡσεὶ περισπαν, corporali specie tan-  
quam columbam. Qvis itaq; hic porrò dubius esse vellet? Certè  
Syrus, Arabs, Æthiops bellè cum originali textu coincidunt. Sy-  
rus: *edidit: juxta similitudinem corporis columbae.* Arabs: *similitudine*  
*corporis columbae.* Et Æthiops: *In corpore tanquam specie colum-*  
*bæ.* Qvod si Patrum aliorumq; Ecclesiæ Doctorum autoritate res  
hæc agenda esset, magna nobis afflueret copia. Starent à nobis Justi-  
nus in Dialogo cùm Tryphone Judæo, Irenæus lib. 3. cap. 19. Orige-  
nes in Lucañ Serm. 27. Epiphanius aduersus Sabellianos Hæresi  
62. Hilarius in Matthæum. Nonnus in Paraphraſi Johannæ, Ju-  
vencus lib. I. Evangel. Histor. Sedulius lib. II. Carmin. Chrysostomus  
Homil XII. in Matth. Isidorus Pelusiota Epist. CVI. Cyrillus in Jo-  
hannem. Theophylactus ad loca Evangelistarum citata. Auctor libri  
de Mimitibus Scripturæ sub Augustin nomine lib. III. cap. V. Et Auctor  
libri de Sacramentis sub Ambrosii nomine Lib. I. cap. V. multiq; alij.  
Videa ergo Thomas, qvi in Summa, part. III qv. 39. Art. 7. contra-  
riam tuetur sententiam: Videant & alij Theologi Scholastici, qvi testan-

**Sixto Senensi Lib. vi. Biblioth. S. Annot. XIII.** omnes ferè "easdem cum Thoma tibias inflant, qvâ se ratione eruditis Ecclesiæ membris, qvin & suæ cohörtis doctoribus alijs, hic rectius sentientibus, excusare videntur. Nobis nunc aliud agendum est. Manuducit enim & nos hodiè Sanctus Pater, Hieronymus, sub *Columba* figurâ ad veram de Spiritu S. sententiâ, qvæ necessaria nobis est, si fidem salvificam habere velimus. Ne igitur Doctrinæ hujus hodiè obliviscamur, aut eandē insuper habeamus, adest nobis *Origenes* cùm *Hieronymo*. (Vide Tom. III. Opp. Hieronymi f. 123. G.) Origenes enim in Homiliis ad Canticum Salomonis, qvas interpretatus est Hieronymus, ad verb. Cant. II. 12. emphaticè exclamat: *Columba Spiritus Sanctus est*. Qui ergò videt Columbam, qvi audit columbam, qvi legit columbam, qvi columbam sibi in memoriam revo- cat, is Spiritus S. non obliviscatur. Cumq; ipsi Ebraei per turturem, a- vem columbinam, Cant. II. 12. Spiritum Sanctum intelligent, cur nos Christiani, Spiritus S. templa & domicilia hic ostiemur? Chaldaeus cer- tè verba Cantici citata ita παρεργούσει: Et vocem Spiritus Sancti, id est liberationem, quam Abraham, Patri vestro predixi (Gen. XV. 14. 16.) jam audivisti. Elegantes sunt piorum meditationes de Columba Noë. Theophylactus ad cap. III. Matth. v. 19. ex versione Johannis Oecolampa- dij ita differit: Et ut de Noe dicitur, columbam nunciasse diluvii solutio- nem, ramum olivæ afferentem: sic & hic Spiritus S. manifestat peccatorum solutionem. Illic ramus olivæ; hic misericordia Dei. Et qvam bellè inter se conveniunt! Afferebat Noë columba pacem & gaudium; idem præ- stat Spiritus Sanctus, Gal. V. 22. Illa non tutius quiescebat, qvam in ar- câ; hic in Ecclesiâ, Veniebat Columbia septimâ die ad Noam: venit & Spiritus Sanctus die septima, qvæ est Dominica: hâc ipsâ veniebat ad A- postolos. Erat enim dies Dominica, qvâ Christus Apostolos afflans dicebat; accipite Spiritum Sanctum, Joh. XX. 19. 22. Erat dies Dominica, qvâ in fideles descendebat Spiritus Sanctus Act. II. 1. 2. 3. Erat dies Do- minica, adeoq; septima, qvâ spiritu hoc corripiebatur Johannes in Pathmô Apoc. I. 10. Est hodieq; dies septimâ, qvâ singulis hebdomadibus Spiritus S. ad nos venire, nosq; in templo congregatos in omnem veritatem ducere solet, Joh. XVI. 13. Hoc igitur agamus, hoc discamus, ne Sanctissimo huic spiritui dispiceamus. Id si fecerimus, dubium est nul- lum, qvin, qvod & vitam nostram attinet, piè cā emendaturi simus. Vo- gat eō nos columba hæc sanctissima. Fugiunt columbæ fœtorem ingra- sum. Fugiamus & nos peccata, qvæ coram Deo fœtent maximè Psalm.

XXXVIII.

**XXXVIII.6.** Audite Origenem ex Hieronymi stylo loquentem: *Non sine causa in sacrificio assumitur pars turturum, aut duo pulli columbarum,* (Lev. XII. 8) Qyænam igitur illa est causa? id nobis manifestat David in Ps. LI. qvi ab antiquissimis usq; temporibus Pentecostes Festo appropriatus quasi fuit: *Non delectaris (inquit o Deus) sacrificio, ut dem: holocaustum non vis. Sacrificia Dei sunt Spiritus fractus: animum fractum & contritum, o Deus, non spernis.* Has igitur columbas, o Boni, Deo offerte. Qvi in figurâ columbæ videbat Spiritum S. Johannes, exemplò exclamabat: *Ferte fructus convenientes resipiscientia. Jam verò etiam securis ad radicem arborum posita est. Omnis igitur arbor non ferens fructum bonum exciditur, & in ignem abicitur.* Matth. III. 8. 10. Idem faciebat Jesus, super quod descendebat hic Sp. ritus in columbæ figurâ: *Resipiscite, dicebat, appropinquavit enim regnum cœlorum* c. IV. 17. Idem faciebat Petrus cum Apostolis Act. II. 38. *Resipiscite. Agamus ergo hoc, & res nostra in salvo erit.* Eleganter denuò Origenes cum Hieronymo loco citatò: *Columba Spiritus S. est. Spiritus autem sanctus, quando de magnis & occultioribus sacramentis, & quæ multi capere non possunt, loquitur, in turturis appellatione signatur, id est, in avis ejus, quæ semper in montium jugis, & in arborum verticibus commoratur: In vallibus autem, & his, quæ ad homines usq; perveniunt, columba assumitur.* Studeamus igitur humilitati ut columbæ, & veneremur summa in majestatem, summaque mysteria ut turtures. Placeamus utroque Deo. In summis admiratione: in imis veneratione. Pergunt Duum viri illi: *Idcirco Spiritus Sanctus non in turturem vertitur, sed columba fit. Inter nos propter hominum multitudinem avis mansuetior conservatur. Discamus ergo & nos mansuetudinem.* Dicit ideo nos Hodegeta hic ad Christum, qui lenis est, & summissus corde Matth. XI. 29. *Simus etiā prudentes ut serpentes, sed & simplices ut columbae.* c. X. 16. Gemunt columbæ. Gemamq; & nos. **S**vavissima vox Sponsi columbæ vox est, Cant. II. 13. 14. Sit nobis svavissima vox eorum, qui à Spiritu S. acti eloquia nobis Dei enunciant. O piæ columbæ, date sedulò operam, ut voces vestras in precibus, in hymnis, in admonitionib; laudibus, in suspiriis & gemitibus audiat Sponsus vester Jesus Christus, & sibi in iis complaceat. Adebet Spiritus Sanctus, qui clamabit in vobis, quiq; vestram infirmitatem confortabit. Sed heus, attendite & illud, quod Epiphanius nos docet lib. II. adversus Hæreses Tom. I. Hæres. LXII. f. m. 517. ex interpretatione Petavianâ: *Jam Spiritus San-*

*ctus*

*III VZZZI od. elo. 3. 3. A. regrediat*

*Mis, quam tandem ob causam specie se columbae videndum exhibuit, mihi  
ut tibi sapientiae opinione inflato; neque quicquam intelligenti, nihil in  
Deum contumeliose faciendum esse suaderet. Sed quorū ab ripimur? Si-  
mus, ut brevissimè rem expediamus, columbae, sed piæ & simplices, si  
sponsæ Salvatoris esse volumus. Eleganter Gilbertus, Bernhardi Æmu-  
lis, (vide hujus Opera f. 1827.) ad verba Sponsi, quæ de Columbarum  
oculis agunt: *Quid te amicam esse præsumis, quæ nescis oculos habere co-  
lumbæ? opera quantuncunq; fuerint bona, si impurus est animus, de pul-  
chritudine frustra tibi applaudis. Quomodo amica es, quæ pulchra non es?*  
Sed quomodo non es inimica, quæ malignaris in sancto? Malignatur in  
Sancto, qui malignatur in bono, sive in suo, sive in alieno. In tuo malig-  
naris bono, et cum bonum ipsum non conspicaris. In alieno cum de bono  
malè conspicaris. Et prava intentio, et perversa interpretatio, utraq; ma-  
lignatio est: utraq; fellea, utraq; falsa, nihil habens cum COLUMBA-  
RUM naturā commune. Oculi columbarum sunt, qui nec falli volunt,  
nec fallere norunt. Nescis, quod sponsus tuus veritas est? Quomodo dicet  
tibi: *Columba mea, amica mea, quæ simplicitate non gaudes?* Et paulò post:  
*Bona est oculata simplicitas, ita simulationem excludens, ut non ca-  
liget in veritate. Rara hac hodiè in terris avis: et si qua est ejus usquam fre-  
quentia, occulta satis & latens in foraminibus petre, in caverna maceræ,  
& desuper rivos aquarum.* Quomodo autem obscuratus est, aut occul-  
tatus est oculus columbarum? *Quis est, qui seculi calliditates non scitetur?*  
*qui illis se uti non gaudeat? qui non amet habere, aut saltem nominari in  
se non velit?* *Quis est, qui non verecundetur oculos columbinos, glorietur  
se habere milvinos?* &c: *Talis in oculis columbarium depingitur, quæ sim-  
plicitatem & spiritualitatem redolent, eò, quod in columba figurā SPI-  
RITUS SANCTUS intelligi soleat.* Mittebat Eustochium Hieronymo  
suo dona, inter quæ & columbae erant. Audiamus nos primò vocem  
Sponsi nostri pulcherimi, & reddamus deinde Ipsi in ministris suis dona  
ad Altare consveta. Ipse sponsus id videt & observat & annotat. Date  
& dabitur vobis, mensuram inquam bonam, presam, agitatum, & su-  
perficiem dabunt in sinum vestrum, id promittit Christus, Ipsa Veritas,  
Ipsa Bonitas, Luc. VI. 38. Vos, qui hactenus malo aliis exemplō manus  
ab oblatione retraxistis, periculum hujus rei facite, & infelicitas vestra  
in mera gaudia abibit. Vos vero, qui columbarum more agminatim ac-  
ceditis, accedetis etiam in gaudia æterna, ubi sponsus vester nidos vobis  
comparavit dulcissimos. Fiat! Fiat! P. P. in Vigiliâ Pentecostali, Wit-  
tenbergæ A. E. C. clæ loc LXXXVIII.*



